



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 77. Coloniensis Archiepiscopus Lutheri veneno infectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. cui postea Otho Truchsesius successit.
 A.C. 1543 Porro Decretum in hisce Comitibus factum neque relatum fuit in tabulas, uti fieri consueverat, nec ullum etiam robur obtinuit.

§. LXXVII.

Coloniensis Archiepiscopus Lutheri veneno infectus.

Sur. romm. ad hunc ann. Sleidan. l. c. l. 15 p. 49. Chytræus ad ann 1532 Pontan. l. 4. Paulo post solutum Norimbergensem Conventum Hermanus de Weiden, seu Wida Archiepiscopus ac Elector Coloniensis, qui ex illustrissima Comitum de Weiden familia ortum duxit, Protestantium errores palam professus est. Hic ceteroquin Vir erat non minus morum probitate, quam Religionis Catholicæ studio clarus: cum autem parum doctus esset, facili negotio a quibusdam occultis Lutheri Sectatoribus, qui in ejus aula agebant, seducebatur; hi enim eidem falso exponebant, quod Cleri reformatio a Cæsare Ratisbonæ in Comitibus præcepta præprimis intelligenda esset de quibusdam dogmatibus, ac ritibus, quos ipsi in Ecclesiam contra Dei Verbum introductos, nec non traditiones mere humanas sacris literis fuisse subrogatas ajebant: igitur horum hæreticorum mendaciis deceptus Præsul Mar-

Martinum Bucerum accersivit, eumque anno salutis reparatæ millesimo quingentesimo quadragesimo secundo in Bonnenſi urbe Præconem nominavit, anno autem ſequenti ipſum etiam Melanctonem, Piſtorium, & quosdam alios celebriores Proteſtantium Miniſtros advocavit, perperam perſuaſus, quod eorum doctrina puro Dei Verbo penitus conſona foret. Equidem Clerus omnis totaque Coloniensſis Univerſitas ſeſe perverſo huic conſilio vehementer opponebant; aſt ejus mentem mutare haud poterant, quin imo ad tantam prolapſus eſt pertinaciam, ut in quodam Conventu Religionis normam eſſe immutandam proponeret, ſimulque hæreticis hiſce Miniſtris injungeret, ut quosdam doctrinæ, quam introduci juſſerat, articulos conſcriberent: hunc ergo reformatæ doctrinæ librum ad ſuos Canonicos, nec non ad Coloniensſes Theologos tranſmiſit, eo fine, ut illi juxta ſacras literas hoſce articulos examinerent, nec non deſuper ſuam ſententiam ferrent. Verum acrius adhuc Archiepiſcopo obluſtabantur omnes, nec ullum aliud dabant reſponſum, quam eidem alium opponendo librum a Joanne Groppero compoſitum, cui titulus erat: *Antididagma*, ſeu Antidotum contra falſæ do-

Sæcul. XVI.
A.C. 1543.

Sæcul. XVI. doctrinæ venenum. Hunc igitur li-
 A C 1543. brum suo Archiepiscopo tradebant, sup-
 plices, ut hosce hæreticos expelleret,
 nihilque in avita Ecclesiæ doctrina im-
 mutaret; cum autem is Bucerum, ejus-
 que Socios dimittere renueret, totum
 ejus Capitulum ab edictis ac temerariis
 Archiepiscopi sui ausibus ad summum
 Pontificem & Cæsarem tanquam Eccle-
 siæ defensorem provocavit.

§. LXXVIII.

*Palinodia Francisci Landri a Rege
 comparere jussi.*

*Steid. l. c.
 p. 489.*

Sub idem ferme tempus Landrus Pari-
 siis, Civitatis ad S. Crucem Paro-
 chus, instructis in eum judicii actis in
 carcerem conjiciebatur, eoquod ad fi-
 dei articulos, quos ipsi Facultas Theo-
 logica subscribendos proposuerat, adeo
 perspicue respondere recusasset, ut ex
 inde fidei, quam teneret, puritas elu-
 cere potuisset. Eapropter eadem Fa-
 cultas Regem de Landri pertinacia cer-
 tiorem reddidit, non modo, ut eidem
 suum erga sanam doctrinam studium
 testatum redderet, sed simul etiam eun-
 dem urgeret, quatenus Facultatem in
 suis piis consiliis adjuvaret. Franci-
 fcus Rex non sine animi sui lætitia com-
 mu-